

QUÆSTIO VII.

Quare de sono dicitur quod repleverit totam domum?

55. A It Textus in præfenti: Factus est de celo sonus tanquam adveniens Spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes, & apparuerunt illis dispersa lingua tanquam ignis. Merito dubitabis, quid de sono dicitur, quod replevit totam domum, id vero sic de igne, sed quod tanquam lingua sederit super unumquemque.

56. Respondeo primò: quod Evangelista scribit juxta naturam rei; nam quando sonus vehemens excitatus fuit à vëto, sive ab aliquo sonitu uniformiter, ac difformiter spargitur per totam domum; non sic verò ignis, qui potest accendi in hoc, vel illo loco, poni in hac, non verò in illa parte.

57. Moraliter respondeo, quod per ventum intelligitur divina benevolentia, & gratia juxta illud Cantic. 4. n. 16. Veni Auster perfla hortum meum, & fluent aromata illius: At vero ignis significat labores, & afflictiones, juxta D. Cyrill. datum superiori quæstione dicentem: Ignis portendit tribulationem magnam, & multiplicem, quam passuri erant Apostoli, ac Christi fideles. Et valde frequenter ignis in Scriptura significat tribulationes, ac afflictiones, Psalm. 16. n. 3. Igne me examinasti. Psalm. 65. n. 10. Igne nos examinasti, sicut examinatur argentum, & iterum n. 12. Transivimus per ignem, & aquam.

58. Ideo ergo sonus, seu ventus significans Dei gratiam, & benevolentiam, replevit totam domum; At verò ignis, qui denotat tribulationes, ac persecutiones, in mensura unius linguae. Dei gratia, ac benignitas valde superabundans, omnia adimplens, & largiter replens; At quæ sunt rigoris, & pœnæ in multa mensura, & regula proportionata personæ temporis, ac occasione, ut non excedat magnitudinem, ac longitudinem unius linguae. Huc spectat, quod in præfenti notavit Oecumenius, & ait: Ignis, non replevit totam domum, ne omnes terreteret, ac videntes fugere compelleret. Sit ergo igneus rigor in proportionata mensura, ne nimis terreteret, & fugere compellat.

59. De suo dilectissimo sponso ait Anima sancta: Esuscitatus Myrrha dilectus meus mihi, Cantic. 1. n. 13. seu, ut legitur Septuaginta: Alligamentum guttae fructibus meis mihi. Et D. Ambrosius in Psalm. 118. ser. 3. Colligatio guttae. Sic & Origenes homil. 2. ex quatuor. Postea verò agens de magnifica liberalitate sui sponsi erga se ait: Emissiones tuæ Paradisus malorum puniceorum cum pomorum fructibus, cum universis lignis Libani, cum omnibus unguentis, Cantic. 4. n. 13, & 14. Per Myrrham communis est vox Sanctorum Patrum, quod intelligitur mortificatio, ac tribulatio. Per tot emissiones fructuum Paradisi Theodorici intelligit omnes virtutes, Catena trium Patrum, Omnia dona Spiritus sancti, quibus anima recreatur, ac impinguatur. Considera ergo altum Dei consilium; In labore, ac mortificatione tam stricta mensura, ut unam guttam non excedat; at in gratuita beneficentia, & larga benignitate, tam ampla beneficentia, ut non una Metaphora, sed multiplici explicetur. Paradisus cum pomorum fructibus, universis lignis Libani, cum omnibus unguentis.

60. Ait Deus: Ego sum Zelotes visitans iniquitatem patrum in filiis in tertiam, & quartam generationem eorum, qui me oderunt, faciens misericordiam in mille his, qui diligunt me, Exod. 20. n. 5, & 6. Ad quæ verba sic ait Cardinalis Caiet. Cerne differentiam, quod vindicta non extenditur ultra quatuor filios, benefi-

centia autem extenditur in millia, ad significandum quòd ad bona est Deus propensissimus, ad inferendum autem mala est parcus, & ratio est; quia bona confere sua sponte, mala autem infert exigentibus demeritis nostris.

QUÆSTIO VIII.

Quare factò vehementi sonanti strepitu fulgurantis linguae igneis non timent Apostoli?

61. Olim Deus daturus legem in monte Sinai scribitur, Exod. 19. n. 18. Totus mons Sinai fumus erat, eo quod descendisset Dominus Deus super eum in igne & ascenderet fumus ex eo quasi de fornace; & erat omnis mons terribilis. Cum, ut ibi dicitur, resonarent tonitrua, fulgura conuscarent, erat totus mons valde formidolosus, ut ibi notant interpretes Lyran. Caiet. & alii: At verò modo in monte Sion: Factus est repente de Cælo sonus tanquam adveniens Spiritus vehementis, & replevit totam domum, & apparuerunt illis dispersa lingua tanquam ignis. Ecce in utroque monte Sinai, scilicet, & Sion descendit Deus in igne vehementi Spiritu sonante: In Sinai magnus metus, & terribilis horror; In Sion verò suavis benignitas, ac dulcis affabilitas: Illic terribilitas arebat homines à monte: hic verò blandities omnes ad se convocabat, ut patet ex subsequentibus: Facta autem hac voce convenit multisudo maxima. Infra n. ... Unde tanta rei differentia!

62. Prohujus solutione sit, quod dicitur superiori cap. n. 14. Quod erant Apostoli perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Jesu Aderat ibi Mater Mater Iesu, consequens erat, benignitas, ac suavis, & cum tali præsentia nullus poterat esse honor, vel metus, sed summa securitas, & blandities, quæ ex ejus umbra, ac protectione manabat: ad hoc pertinet id, quod docet D. Epiphanius de laudibus Mariæ in suo sermone: O Beata Virgo sponsa, cœlestis Maria, Cœlum, Templum, & Tronus Divinitatis, quæ coruscantem in cœlo, & terra solem habes Christum: Nubes lucida, quæ fulgur de cœlo lucidissimum ad illuminandum deduxisti Christum: Nubes cœlestis, quæ tonitruum Spiritu sancti in te ipsa reconditum deduxisti in mundum, & imbrem sancti Spiritus in universam terram ad producendum fidei fructum cum impetu demisit. Divini Spiritus tonitrus non terret, sed solvit in saluferum imbrem ad fecundandas animas nostras, easque custodiendas.

63. De se ait sanctissima Virgo Maria Cantic. 8. n. 10. Ego murus, & ubera mea turris. Quæ verba elegantissimè expendit Guillelmus Abbas apud Delrium, & ait in nomine sanctissimæ Virginis: Ubra mea non tantum sunt ubera, sed etiam turris, non tantum nutriendo, sed & protegendo vim habent; nullus me putet habere quo nutriam, & non habere quo muniam, Maternitas pietatis meæ quos nutrit, etiam munit. Magnum tutamen nobis præbent ubera Virginis Mariæ, quia sunt ubera, & turris; ubera, ut nutriant, & turris, ut quos nutriunt, etiam custodiant, & defendant.

64. Ait divinus Sponsus: Equitatus meo in curribus Pharaonis, assimilavi te amica mea, Cantic. 1. n. 8. Quisnam equitatus fuit iste omnipotētis Dei ad destruendos omnes armatos currus Pharaonis, cui assimilatur una pura, & tenera Virgo Maria; quisnam & iste equitatus Dei? & Nullum alium invenimus? nisi Virgam Moysis, quæ totum exercitum Pharaonis cum omnibus suis equitibus, ac curribus destruxit.

Virgo Maria altissime nos custodit, ac defendit ab inimicis. Rupert. exit, & perdidit. Et unde in illa virga tanta virtus? Præfigurabat illa alteram virgam ortam ex Iesse, nempe sanctam Virginem Mariam; & ex ejus emanavit, ut venenosos Aegyptiacos serpentes devoraret, exercitum Pharaonis destrueret, & aquam sitiienti populo in alimentum daret, & fructum floridum, id est gratiam produceret. Rupertus ad citatum locum Cantic. ait: Currus Pharaonis valde multo ferro armati, auro, vel argento insigniti: Equitatus Dei virga una fuit, virga Moysis, & Aaroni illi signo, illi equitatus meo assimilavi te amica mea; sicut enim virga illa virgas maleficiorum devoravit, & omnem superbiam Aegyptiam obruit, & inde germinavit, frondit, floruit, & fructum protulit, non succo terræ animata, sed virtute cœlesti, sic anima mea cunctam pravitatem hereticam contrivit, superbiam Diaboli dejecit, conceptu florida, partu fructifera.

QUÆSTIO IX.

Quare divinus Spiritus descendens in igne, venit clara die, & non potius nocte, ut magis resplenderet?

65. Spiritus venit linguis igneis clara lucente die, ac Sole fulgente, ut patet ex hoc cap. 2. infra n. 15. ait D. Petrus: Non sicut vis aestimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia, cur non in nocte, ut fulgur ipsius luminis magis, ac magis fulgeret, ac resplenderet?

66. Quidam Author. Responder quidam ingeniosus Author de vestibus Aaronis, quod ideo Spiritus sanctus clara die, ac sub Solis radiis descendit, ut suum magnificentem donum ignita lingua minus lucret, & charismatum dona occultaret, ut sic ejus liberalitas maxime commendaretur, conferens tanta beneficia, quæ ex Soliluce minus apparerent, & quodammodo minus viderentur. Dicitur Ps. 76. n. 20. In mari via tua, & semita tua, in aquis multis, & vestigia tua non cognoscuntur: quia scilicet mare iterum conjunctum, atque unitum, adeo in se est, ut nulla amplius vestigia appareant. Deus tam magnificentissimus est in suis donis, ut ne leve itineris vestigium voluerit permanere, sed voluit illud operire, ac abolere, ut sic suæ liberalitatis occultando indubitatum conferret argumentum.

67. Euthym. Summa majestas resplendet inter lucentes. Oecumen. Aliter respondeo ad quæstionem, venit Spiritus S. non sub nocte, sed die clara radiantibus Solaribus radiis, ad ostendendam suam excellentiam, ac celsitudinem, nam lucere nocte, ac inter tenebras quid magnum est, at resplendere die clara, & fulgurante Sole quid supremum, & altissimum est, & ideo ex tanto supremo splendore omnes gentes, quæ sub Cœlo sunt admiratæ concurrerunt ad Cœnaculum, & illa die appositæ sunt ad fidem Christi tria millia, ut dicitur infra n. 41. Huic meæ cogitationi patrocinatur Oecumenius, qui ad præfata verba ait, Hora tertia hæc esse facta, non vulgariter intelligendum est, sed quod tunc ignis splendidior ostenditur, quando neque ad opera unumquemque homines neque ad operandum prandium, quando omnes in foro sunt. Tunc quando ignis iste Divinus erat splendidior, & magis illucebat, & omnes erant in foro, ut videntes tanta mirabilia confluerent ad Cœnaculum.

De Christo D. ait Regius vates Ps. 18. n. 6. In Sole posuit tabernaculum suum, seu, ut alii legunt, sedem suam. Cur non potius in firmamento inter scintillantes, ac radiantibus stellis, vel cur non potius in Luna, quæ mulieri in Apocalypsi præbebat calcamentum Apoc. 12. sed in Sole? lucere inter stellas, & Lunam quid magnum, at in Sole, quod est luminare majus, hoc est supremum totius lucis fastigium, & inde tam excellentius, ut ipsum Solem valeat obscurare, sic explicat Angelus: In Sole posuit tabernaculum, ut Sol non semper luceret: Stellæ, & Lunæ obscurantur à Sole, at Dei tabernaculum tam flugidum est, ut Solem valeat obscurare. Angelus. Ait Daniel cap. 7. n. 9. quod aspiciens vidit antiquum dierum sedentem in throno suo, & quod Thronus ejus flammæ ignis, & rota ejus ignis accensus, & millia ministrabant ei, & decies millia, & centena millia assistebant ei. Hæc centena millia, quæ assistebant ei, est universus Chorus Beatorum, qui inter suas peculiare dotes habent fulgere, ac splendescere; tamen solum de rotis sedis Dei dicitur: Rota ejus ignis accensus, Septuaginta ignis ardens, Vatablus ignis flagrans, Hebræus ignis perlucidus. Assistant Beati, qui ex suo dono habent, ut fulgeant, & tamen solum Hebræi de Throno Dei dicitur: Ignis flagrans, ignis perlucidus. Hæc est suprema Dei Majestas quod ejus Thronus tam nitente luce persulgeat, ac resplendescat, ut omnes alii splendores dispareant, & ne mininium quid valeant scintillare. Dan. 7.

QUÆSTIO X.

Quare lingua ignea apparent in Capite, & non potius in ore, vel alia corporis parte?

69. Quia in parte corporis lingue igneæ apparuisse, ac ledissent non constat ex Texto, fuerunt aliqui Authores, ut testatur Lorinus, qui dixerunt linguas apparuisse in ore quasi inter labia novæ lingue apponerentur; tamen communis Sanctorum Patrum tenet in capite. Ita D. Cyrill. Iesofolymit. catech. 17. D. Cæsar. Dialog. 3. D. Anastas. Sinaita lib. 3. in Hexam. D. Dionys. cap. 5. Cælestis Hierar. Anacleus Papa Epist. 1. Clemens Papa VIII. Constit. cap. 2. & ita tenet universalis pictura totius Ecclesiæ à tempore antiquissimo. In capite. Lorin. D. Cyrill. D. Anast. D. Dion. Anacleus Clem.

70. Franciscus Turrianus lib. de Hierarch. Ordin. Ministr. citans D. Hieronym. Dionys. quod Spiritus S. huc venit tanquam super Apostolos creans eos Doctores, ac Episcopos ad exercendum sacramentum Confirmationis, & Ordinis Opposita sententia est vera, quod Christus D. creavit suos Apostolos Doctores, & Episcopos, quando post Resurrectionem eis dixit Ioan. 20. 21. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Illud sicut proportionabiliter est intelligendum; quia sicut Pater misit Filium suum Iesum Christum cum plenissima potestate ad officium Salvatoris; ac Redemptoris, sic ille misit suos Apostolos cum plena potestate ad gubernandam suam Ecclesiam, atque ad omnia illius ministeria necessaria. Ita D. August. D. Ambros. noster D. Cyrillus, D. Chrysostomus, Theophylact. Rupert. & alii, quos citavi tom. 5. in Evangel. lib. 9. cap. 4. n. 82.

71. Respondeo primò. Caput in Scriptura valde frequenter significat totum hominem, Exod. 16. n. 16. Colligat unusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum: Gomor per singula capita, id est per singulos homines. Psalm. 139. n. 8. Obumbrasti caput meum in die belli, id est totum me, & sic in multis aliis locis, cum caput sit principalis pars corporis: Venit ergo Divinus Spiritus super caput Apostolorum, ut

